

Sammelbd. 14

15.

+



Series
Tractatuum et Dissertationum
quas continet.

Vol. I mu



[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]

1)
2)
3)
4)
5)
6)
7)
8)
9)
10) &
E



Series
Tractationum et Dissertationum
hujus Voluminis.

- 1) De furo prudentia Apostoli Pauli auct.
Joh: Sam: Strix.
- 2) Observationes forenses vari argumenti. p. 179
Joh: Gottlieb Siegel. Respondentes Auctores Caj:
Ernest Hoerniger Lipsiae habitus.
- 3) Thasverz Fritsch. de Inactione Misilium
- 4) De Sociorum obligationes quae oriuntur ex conventu
cum extraneis unita. Praef: Wolfgang
Lauterbach. Resp: Joh: Henr: Boehm.
- 5) De fure Ulendi Reclamationis vel simili remedi
suspensivo si appellacioni renunciatum est
Praef: Christ: Henr: Eichard: Respond: Joh: Carol:
Janke habitus.
- 6) De quibus Singularibus quibusdam germanorum civi
personas et res curibus in jure romano aut
pariis aut plane non tractatis. Praefid:
Henr: Ern: Kestner. Resp: Christ: Curt: Fopp. Resp:
habitus.
- 7) De Privilegio Competentiae Praef: Christoph: Werther: Mult:
Resp: Christ: Gottl: von Cullis.
- 8) De Scripturae necessitate Praefid: Abrah: Kuestner Resp:
Hans: C. F. de Bismarck.
- 9) De causatione de non turbando habitus a Georg: Henr:
Koch: Erfordiae.
- 10) De S'cto Mavcedonio a Andr: Bartholdo Holzborn
Erfordiae habitus

- 11) De Affignationibz, Henr: Cörreji. Tr:
- 12) De eo quod pendet seu quod est in suspensis **Comual: Jurid:**
Christ: Wildvozele.
- 13) Von **im** actionis forealis contra vendicantem ex venabili
Poi: Christ: Thoms: N: Wilhelmy Wunder. thalve habita
- 14) de Receptu Serum miserabilium, vnde non fleuist gullstou duder
Cypk: Karrengieseri.
- 15) Nam: Fridr: Willenbergi tract: de Pactis antenuptialibz, Bon
duy ~~pro d'...~~ ga troffaz effa fault.
- 16) De Candelinis ponalibz, giratis Praef: Wilh: Hier: Bruckner
Ref: Joh: Ernst: Schellhas.
- 17) De vera ponalium de praesenti et **illipiasum**
differentia Praef: Joh: Beck: Frieß Resp: Joh: Reugerach.
- 18) Kurtzal Endumdy ubro d'n Justizsch Köniz ob ein
Wissungsd' von einm sin vnsprachd' sein aut d'm vber
ntrant d'm d'm ynd d'm, für d'layd' fuffeser d' d' g'ly
fayr. P'vont g'ly d'm Henr: Kueber.
- 19) De Substitutionis directae argumentis in formulae dubia
Praef: Joh: Eob: Carrach. Resp: Fridr: de Freyberg, thalve
habita.
- 20) De Transmissione hereditatis ex Lun Cod: de his qui
ante apert: Tabul: p. Ps: Georg: Schubath. Resp: Steph:
Alexand: Reuerf: Henae habita
- 21) de Tabula occupatija Praef: Joh: Just: Schiesfölin
Resp: Joh: Cypk: Kyberus.
- 22) de Tabula dativa non occ: Thom: udy Joff Praef: Christ:
Wildvozele Resp: Henr: Eddlob Kuhn. Henae habita
- 23) de eo qd iustum est circa umbram. Praef:
Joh: Henr: Meyer. Respond: Joh: Wilh: Ehting.
Erfordiae habita.

- 24) De rebus ecclesiasticis et secularibus amboarum. Praes. Joh: Henr. Schaeffer. Resp. Joh: Will: Schaeffer. Habita
habita
25) De Umbræ, von Pflanz. Praes. Praes. Adrian Blier
Resp. Henr: Gunther, Boethius. Genae habita
26) De eo quod iustum est circa novum annum
von Pflanz. Praes. Praes. Christ: Will:
Resp. Joh: And: Crauser. Genae habita
27) De iuribus illius s: contobandis. Praes. Wenz:
Theodor Martini. Resp. Cass: Henr: Horn. Witeb: habita
28) Christi Thomis quaest: Promissionum historico
philosophico iudicium dectas.
29) Collocationes iuris Civ: Romani cum receptis iura
Rom: Germ: in specie cum ordin: Crem: Cyp: 17
Praes: ~~...~~ Michael Graf. Resp. Jac: Guilbald:
Hoetmann de Sutenberg. Debingae habita
30) De Fortuna Festum von Pflanz. Praes. Praes. Praes.
Praes: Ernst: Jman: Gertel. Resp. Joh: Frid: Wenz:
31) De famosis libellis vulgariis. Praes. Praes. Praes.
Praes: Joh: Berth: Frosch. Resp. Joh: Jac: Freist:
Genae habita
32) De Poena gladii post supplicium, des: Praes. Praes. Praes.
Philipp: Freiberi. Esfordiae habita.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



16

In Nomine Jesu!
DISSERTATIO INAUGURALIS
De
CLANDESTINIS
SPONSALIBUS
JURATIS,

Quam
Divinâ adspirante gratiâ
Autoritate & Decreto
Incltyti Jurisconsultorum ordinis
in florentissimâ ad SALAM Academiâ

16

PRÆSIDE

D. VVILHELMO HIE-
RONYMO BRÜCKNERO,

Pandect. Prof. Publ. Facult. Jurid. & Scabinatus Assessore,
Collegii Juridici h. t. DECANO

Pro Summis in Utroq; Jure honoribus & DOCTO-
RALIBUS PRIVILEGIIS legitimè obtinendis

publice disquisitioni submittit

JOHANNES ERNESTUS SCHELHAS,

Isnacens. Thuring.

ad Diem Sept. M D C LXXXVII.

IN AUDITORIO JCTORUM

horis ante- & pomeridianis.

F E N Æ,

Literis WERTHERIANIS.



DISSERTATIO IN ANGLICIS

CLAUDÉSTINIS
SPONSALIBUS
JURATIS

Divinae obsequiae gratia
Amicitiae & Decore
Incliti Jurisconsultorum ordinis
In honorem ad S. P. A. M. N. S. S. S.

D. WILHELMO HIE

ROYMO FRIEDRICH

Prof. Publ. Juris. & Secularis Auctor.
Cathol. Juris. in S. DECANO

Pro summis in Jure honoribus & Docto-
ralibus Privilegiis legitime obtinendis

IOHANNES ERNESTUS SCHELLHAS

liberorum Tutorum
M. D. C. LXXV. A.

IN ABBATIA S. P. A. M. N. S. S. S.

L. V. N. S. S. S. S.
L. V. N. S. S. S. S.



SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS,

DOMINO

JOHANNI GEORGIO,

UT ET

DOMINO

JOHANNI GUILIELMO,

FRATRIBUS GERMANIS

DUCIBUS SAXONÆ, JULIACI, CLIVIÆ
ET MONTIUM,

ANGRIÆ ITEM AC WESTPHALLÆ,

LANDGRAVIIS THURINGIÆ,

MARCHIONIBUS MISNIÆ,

PRINCIPIBUS COMITIBUS

HENNEBERGIÆ,

COMITIBUS MARCÆ

ET RAVENSBERGÆ,

UT ET SAYN AC WITTGENSTEIN,

DYNASTIS IN RAVENSTEIN,

PRINCIPIBUS AC DOMINIS

MEIS CLEMENTISSIMIS,

Neſtorios annos, exoptatamque proſperitatem!



SERENISSIMA PRINCIPES.

DOMINI CLEMENTISSIMI!



Iū multūmque dubius hæsi, an
Vobis, SERENISSIMI PRIN-
CIPES, præsentem tenuis in-
genii mei foetum offerrem; Sa-
nè ab hoc instituto me deterre-
bat Vestra sublimitas, quæ quasi
radiis clarè micantibus aciem
mentis meæ feriebat: E contra insignis illa clemen-
tia, passim celebrata, quâ Mûsas, Musarumque
alumnos prosequimini, me invitabat primūm,
omnem dein eximebat dubitationem: Igitur,
veniam demissè rogitans, V. V. SERENITA-
TIBUS SPECIMEN HOC MEUM INAUGURA-
LE, in debitæ subjectionis testimonium, omnige-
nâ animi humilitate dico ac confesco, haud alium
in finem, quàm ut hoc ipsum V. V. SEREN.
me deditissimum declaret; qui, Divinâ adjutus
gratiâ,

gratiã, omnem navabo operam, ut, Parentis
exemplo, cum V. V. SEREN. tum TOTI
CELISSIMÆ DOMUI SAXON.
& ipsemet fidem industriamque aliquando
probem. Serenã ergò mente ac fronte,
PRINCIPES SERENISSIMI, HE-
ROES MAXIMI, hoc, quicquid est
operis ac operæ, suscipite, meque meosque vo-
bis commendatissimos habeatis, quæso. Va-
lete, PRINCIPES SERENISSIMI,
& quàm diutissimè animis corporibusque in-
columes, Deo, ac Reipubl. florentes vivite!
Ita vovet ex animo

V. V. SERENITAT.

Subsellissimus

JOH. ERNESTUS SCHELHAS,
Ilnac. Thur.





PRÆFAMEN!

Cum, DEO PROPITIO exantlatis nunc solitis examinibus, specimen inaugurale edere, jubentibus sic inclytæ Salanæ hujus statutis, constituiffem, in Herculis bivio, quod ajunt, positus, quodnam ex tot tantisque Juris particulis Thema seligerem, dubio mecum ponderabam animo; Usque dum ab eo, cujus mihi autoritas pro ratione est, monitus, in hoc, quod præfens Dissertatio in Rubro præ se fert, themate denique substiti. Cum autem materiæ hujus, de quâ quædam delineare aggredior, gravitas & præstantia haudquam me lateat, utpote cui potius versatissimus fori Patronus ac sublimioris ingenii vi operam daret; Indè & ipsemet lubens adgnosco, eam præsentibus pagellis à me pro dignitate non erui; Nec plenariam ejusdem, sed summariam, saltem ac pauculis thesibus circumscriptam, tractationem exhiberi, ingenuè fateor. Nil adeò magis in votis habeo, quàm ut Benevolus mihi Lector obtingat, qui humanitate suâ, si alicubi forsan lapsus fuero, mihi ignoscat, ac hos meos conatus in meliorem partem interpretetur. TRIUNUS ille, qui

Vi sua potentia

Firmavit orbis cardines,

Operi suscepto clementissimè adspiret, eique felicem largiatur exitum.

THES.

THES. I.

Cùm rem ab ovo, quod dici solet, incipere, justoque ordine progredi velimus, ante omnia Terminorum natales paucis indagare constituimus. Incongruum quippe est, prius determinare, quàm Terminos intelligere.

THES. II.

^{Εὐνοῦ} particulæ CLANDESTINI si spectemus, hancce ab Adverb. CLAM derivationem suam fortiri, plerique volunt, quod idem est ac LATENTER, OCCULTE. v. *Calvin. Lex. Jurid. l. c.* Quamvis, nec harum vocularum unam eandemque esse significationem, alii contendant, sed potius discrimen in eo constituere velint, quòd occultum de iis prædicetur, quæ nec sciri possunt, nec sciri necesse est; Clam autem v. g. agi dicatur, quod in obscuro perficitur, cùm tamen palàm fieri debet. *Festus* putat, derivari à CLAVIBUS, quòd hisce ea, quæ celare volumus, claudere soleamus, v. *Calpin. Dist. Ling. lat.* Nec Vernacula nostra ab hâc derivatione adeò abhorret; Dicitur enim *Heimlich* quasi *das Daheim geschicht*, quod nim. domi ac inter privatos fit parietes, haud accedente aliorum præsentia; Nisi quis forsitan, hanc potius allusionem, quàm veram vocabuli derivationem sapere, dicat.

THES. III.

SPONSALIORUM originem si è sedibus suis brevissimè eruere velimus, dicendum erit, ea nativitatem suam à SPONDENDO ducere. Nam moris fuit olim stipulari ac spondere sibi uxores futuras per *l. 2. ff. d. Sponsal. conf. B. Struv. S. J. C. Ex. 29. th. 4.* Veteres quippè, sicuti verbum, SPONDEO, actibus alicujus momenti, eorum firmandorum gratiâ, adhibere solebant, *l. Sponsio ff. d. V. S.* sic pariter quoque Sponsalia, tanquàm preparatoria maximi momenti contractus matrimonialis, stipulationibus antiquitùs celebrantur; Germanicè etiam audiunt *Gelöbnüß* / *Eheselöb* / à voce *Geloben* / quod idem est ac *Verprechen*. Multa-

tifariam autem hæcæ aliàs in Jure accepta, modò DONATIONEM PROPTER NUPTIAS, l. 2. C. d. Secund. Nupt. modò ARRHAS, SEU MUNERA A SPONSO DATA SPONSÆ, l. 1. in f. C. Si Nupt. ex Resc. per. modò CONVIVIA in Sponsalibus solita adhiberi, Græcis dicta *εγγαμία*, Cypr. d. Sponsal. c. 2. §. 16. denotant; Hic loci autem communi illâ ac frequentissimâ veniunt significatione, quatenus nim. PROMISSIONES FUTURARUM NUPTIARUM indigitant, & in l. 1. ff. d. Sponsal. describuntur, quod SINT MENTIO ET REPROMISSIO FUTURARUM NUPTIARUM, h. e. mutua promissio de præstando Consensu conjugali, v. *Serv. loc. cit. ib. 2.* Facillimo hinc quoque negotio colligere licet, quænam inter Sponsalia & Nuptias intercedat differentia; Sicuti enim aliud est mutuam pecuniam, dare, aliud promittere se daturum, l. 68. ff. d. V. O. ficaliu quoque est nuptias contrahere Gallicè *epouser*, aliud despondere, vel promittere se contracturum, Gall. *Fianser*: Brev. in Sponsalibus tantum promissio fit præstandi in futurum, consensus conjugalis, in Nuptiis autem idem ille purè & in præsentem intercedit.

THES. IV.

JURATUM seu JURAMENTUM deducitur à JURANDO secundum Oldendorp, *class. 1. act. 9. in pr.* JURANDI verò voculam plerique volunt derivari à JURE, quod id, quod juratur, pro lege habendum, & veluti Jus sanctè servandum sit. l. 5. §. 2. ff. d. Jurej. *Seiser. d. Juram. l. 1. c. 1. Obrechtus d. Jur. Cal. c. 1. n. 7.* Alii juramentum quasi JURIS ADSTRINGAMENTUM audit; Alii à JURE MENTIS, quod obligatio in mente oriatur, deducere volunt. German. vocatur ein *Eydt*/quasi *Eindt*/unitum scil. cum eo, cum quo convenire & consentire se adserant, qui jurant; Volunt & hinc derivari *Neidt*/quasi *Nicht Eindt*. Item vocatur ein *Schwur*/à *Schwehren* à GRAVITATE, quia juramentum res periculosa & difficilis est, *Stuck. in descript. sac. sacrif. gentil. fol. 92.*
Syno-



Synonyma hujus voculæ sunt SACRAMENTUM, l. 11.
12. 13. C. d. R. C. RELIGIO, l. 24. 25. ff. d. Jurej. JUSJURAN-
DUM, l. 1. ff. C. d. Jurej. Variè autem illud à Dd. definiti
videmus: nosmet breviter sic describimus, quòd sit ASSEVE-
RATIO RELIGIOSA. Et cùm fundamentum religionis
sit Deus, maximè hoc pro juramento accipitur, si per Deum,
tanquàm testem & vindicem, aliquid asseveramus. Omnis
quoque jurans, si non intendit, ad minimum vult videri,
quòd, si falsus deprehendatur, debeat haberi pro contempto-
re religionis, & consequenter, quòd à Deo, tanquàm vin-
dice religionis sit puniendus.

THES. V.

SPONSALIA CLANDESTINA non semper unum
eundemque admittunt significatum. De 7. quippe *Canoni-*
nico & illa nomen Claudestinorum fortiuntur, que cum de-
nunciationem ecclesie conciliantur, *Straub.* Diff. 2. ad J. J. th. 6.
c. fin. x. d. *Cland. Despons.* Apud nos Protestantes autem bifa-
riam potissimùm accipiuntur; Modò enim ea audiunt
Claudestina, quæ testibus non presentibus perficiuntur; Modò
istiusmodi indigitant Sponsalia, que, in præsentia licet te-
stium, cum tamen parentum consensum celebrantur, *Ungep.* ad
x. d. *Cland. Desp. Cypr. d. Sponsal. c. 10. S. 1. Joach. à Reuff. d.*
Sponsal. p. 1. c. 13. De utroque significato ordine tractan-
dum venit; Et quidem in priori sumta, poterunt forsan sic
describi, quod sint MUTUÆ SPONSIONES FUTURA-
RUM NUPTIARUM, NON ADHIBITIS TESTIBUS,
INITÆ, v. *Cypr. loc. cit. Carpz. J. C. 2. d. 33. 38.*

THES. VI.

Quantùmvis autem lubentissimè largiamur, quòd nec
JUS NATURÆ absolute ad firmitatem sponsaliorum exigat
interventum ullius testis, utpotè cum ea in mutuâ propen-
sione ac reciproco contrahentium consensu subsistat; Licet
nec LL. CIVILIBUS quoque directò vel expressè ullibi con-
stitutum reperiamus, Sponsalibus clanculùm contractis vim
suam derogandam esse, cùm illæ itidem solum consensum
ad Sponsalia ac nuptias requirant, l. 11. ff. d. *Sponsal. l. 30.*

B

d. R. J.

d. R. 7. Hæc tamen non adeo obsunt, quò minus prægnantes ob rationes contrarium introduci potuerit, cum legislatores Sponsalia, remotis arbitris ac testibus celebrata, tanquam illecebras vitiorum ac voluptatum improbare, eaque, quasi sponsaliorum nomine planè indigna, annihilare possint. *Heig. p. 1. qu. 22. n. 33. Mausser. d. Nupt. p. 313.* Constitutionem in Elect. Saxon. hæc de re editam reperimus in *Ordin. Eccles. 1. Von Ehesachen. Rubr. Von Ehegelöbniß.* §. Wo auch zwo Personen/ so beyderseits keine Eltern haben/ sich ohne irmandes beysyn mit einander in Ehegelöbniß eingelassen/ so soll dasselbe vor ein heimlich Gelöbniß gehalten/ und vor eine bündig erkandt werden.

THES. VII.

Thesi anteced. dixi, *prægnantes ob causas clandestinitatem sponsaliorum reprobari, haud inconcinne ergo me actuum arbitror, si earum aliquas hæc recenseam.* Et (I) quidem, cum omnis Clandestinitas habeat per se aliquid ex opinione sinistra adhærens, ac sæpe contra negotium, clam ininitum, militet præsumtio fraudis *l. 54. ff. d. Admin. tut.* quis inde non animadvertit, clandestinas quoque desponsationes suspitione turpitudinis ac præsumptione doli admodum laborare? Præterea (II) cum in ecclesiâ Dei omnia *in Eccles. de decore,* decenter & ordine fieri debeant, sanè ipsa decori ratio, & publica honestas suadet negotium, quod tanti est momenti, in angulo non esse expediendum, & quis (III) potissimum non animadvertit incommoda, lites inextricabiles, perjuriam ex clandestinis sponsalibus metuenda? Cum enim non sit eorum publica certitudo, adeoque, alterutrâ parte ea forsân negante, probari nequeant, utique ut plurimum indè promanant innumeræ discrepantiæ, & litium scaturigines, *Cypr. d. sponsal. c. 10. §. 5.* Proindè & (IV) nonnullas ethnicas gentes, naturam solum ducem secutas, adgnovisse videmus, sponsalia ac nuptias palàm faciendas esse, prout luculenter apparet ex verbis *Demosthenis, in Orat. in Oenotores.* sic scribentis: Neque enim in tali contractu quisquam nullos testes adhiberet? Imò his de causis & nuptias celebramus,



lebamus, & maxime necessarios invenimus, quod non res levis agatur, sed vita sororum & filiarum alienae fidei committitur, quae ut in tuto collocetur, summâ curâ providemus. Firmo hinc statulo saluberrima illa, passim vigens consuetudo, quae sponsalia, citra interventum tertium celebrata, prohibet & invalida declarat.

THES. VIII.

Quaestio nunc incidit, TESTES QUOTNAM REQUIRANTUR, quò Sponsalia publica habenda sint? Et quidem, cum inter alia probationis gratiâ iidem adhiberi debeant, quò de Sponsalibus, si altera pars ea forsitan inficietur, eò clarius constet; ad perfectam autem probationem inducendam testes ad minimum duo requirantur, l. 12. ff. de Testib. c. Licet Univers. x. d. Test. idem de praesenti quoque casu, utpote quem exceptum nullibi reperimus, asserere haud dubitamus. Petr. Heig. p. I. qu. 22. n. 51. Proindè UNICUM testem haud sufficere, expeditum est; Nec enim unius testimonium perfectam ac plenam inducit probationem, arg. l. 12. cit. Expressam, hujus rei gratiâ emissam, Constitutionem Electoralem continet Ordin. Matrim. Elect. d. anno 1624. Von Ehegelbnußen. §. Wo auch zwei Personen/ verb: Sich ohne jemandes beystehn/ oder auch in gegenwart eines Zeugen alleine/ mit einander in Ehegelbnuße eingelassen/ so soll dasselbe vor ein heimlich Gelbnuß gehalten/ und vor unbündig erkandt werden. An verò requirantur TESTES OMNI EXCEPTIONE MAJORES, & an PARENTES pro liberis admittantur testes, vid. Gabriel. l. 1. tit. d. Test. concl. 3. & 9. Mascard. de probat. concl. 1022. & concl. 1148. qui hanc materiam rationibus in utramque partem adductis exposuerunt.

THES. IX.

Ex his apparet, clandestina sponsalia, quia contra legem imita, omni firmitate destitui; Nolim tamen hoc adeo extendere, quin certas admittam limitationes: Quid enim? si EXPRESSA SPONSALIORUM REPETITIO accedat, ac PRO-

B 2

MIS-

MISSIONIS RECIPROCÆ PUBLICA seu coram testibus facta, REITERATIO? Sanè, cum sic clandestinitatis vitium purgetur, cessat & in simul ratio annullationis, ac consequenter ipsa Sponsalia purificentur ac Convalescant, necesse est, *Carpz. f. C. 2. d. 35.* Sed quid dicemus de SOLA CONTRAHENTIUM CONFESSIONE? Nùm huic tantam vim attribuemus, ut per eam sponsalia, clam testibus contracta, convalidentur, adeò, ut partes ad adimpletionem eorum, adigi queant? Ita quidem, summo jure inspecto, videtur dicendum cum *Cypr. in Tr. d. Sponsal. c. 10. §. 4. Heig. p. 1. qu. 22. n. 32.* Ubi enim propria extat confessio, ibi sanè ulterius non exigitur probatio, utpotè cum illa, si modò legitime facta, plenè contra consistentem prober, *Stmuck. Diss. ad f. 7. 25. th. 23.* Cessante itaque sic ratione, cur clandestina sponsalia reprobata potissimum videmus, nim. *difficultate ea probandi*, sanè & ipsam juris dispositionem hoc in casu necessum est cessare: Hisce tamen non attentis, *Carpzov. in f. C. loc. cit. de contrariâ sententiâ in Elect. Sax. attestatur, quam & Constitutione Electorali, in Ordin. Matrim. d. anno 1624. p. 1. contentâ, corroborat, cujus verba huc adferre lubet. §. Wo auch zwo Personen, verb. So soll dasselbe vor ein heimlich Gelbbnûß gehalten / und da sie sich beyderseits gleich darju bekennen dennoch so fern unblündia erkandt werden / bisß beyde Personen solches durch öffentlich Gelbbnûß vor ehelichen Leuten freywillig wiederhohlen und bestâtigen: Cum quâ Constitutione consentiunt multorum locorum Ordinationes, quas adduxit Hieronymus Brucknerus in Decis. Matrim. c. 2. §. 3. Et id quidem non sine ratione statuitur; Nam licet aliquis fateatur, se clam alteri præstitisse consensum sponsalium, interest tamen Reipubl. ut non statim illum pro obligatorio agnoscamus, nisi circumstantiæ monstrent, quod negotium tanti momenti ritè sit expensum, & non præcipitanter sed deliberato animo susceptum. Præcipitantia enim comitem solet habere pœnitentiam, & pœnitentia quot non parit incommoda? Jam experientia testatur, clam & remotis arbitris sæpè animos miris artibus pellici ad amorem, deinde*

aman-



amantes ex impetu & præcipitantia magis, quàm consilio, agere, & nihil non promittere; Sed si testes sunt adhibendi, & consensus cum solemnitate quãdam & apertè dandus, probè solet expendi, quid agatur.

THES. X.

Quid autem si Clandestinis desponsationibus COPULA CARNALIS ACCEDAT, nùm hæc quoque operatur earundem convalescentiam, & ut contrahentes per sacerdotalem benedictionem eas consummare teneantur? Verior videtur affirmantium sententia per *c. 15. 28. & 30. x. d. Sponsal. v. Barbosa in c. 30. x. d. despons. Basilius l. 2. d. Matrim. c. 12. per tot. P. Gregor. l. 3. Partit. tit. 21. c. 5. Mancinus Genial. c. 237. Joach. à Beust. d. Sponsal. p. 1. c. 14. p. 25. Cypr. d. Sponsal. c. 10. §. 10. Præterquàm enim, quod per copulam, sponsalia subsolutam, matrimonium censeatur contractum, propterea, quod subsequens actus ad executionem præcedentis contractus gestus præsumatur. Menoch. d. præsumt. l. 3. pres. 1. n. 6. Ipsa præterea æquitas, sanè in singulis emergentibus casibus respicienda, *sec. l. 90. d. R. 7.* suadet & in hoc casu, virgini viciatæ, ejusque familiæ subveniendum esse, ac sponsalia per matrimonium consummari debere, *Carpz. 7. Conf. 2. d. 36.* Haud enim contumelia, per stuprum illata puellæ, aliã ratione aboleri poterit, nisi ea ducatur, & cum à viciatâ, ceu cui optima dos, virginitas nempe, erepta, pleriq; abhorreant, nec, qui eam ducere velit, facillè inveniatur, *Cypr. loc. cit. n. 2.* merito est retinenda ab eo, à quo ipsa rerum imperita, dolosisque persuasionibus seducta, vitium perpeffa est. Quantumvis proinde sponsalia clam inita non ligent ab initio, per copulam tamen carnalem ratificata, haud dissolvenda erunt; Multa quippe matrimonium contrahendum impediant quæ tamen contractum non dissolvunt, *l. 16. §. 2. ff. d. R. N. l. 8. junct. Gloss. in verb. Retinere, ff. D. his quæ sunt sui.**

THESES. XI.

Dicta in *ib. anteced.* eò extenduntur, ut, licet aliàs, clandestinis sponſalibus cum publicis concurrentibus, hæc, quantumvis posteriora, illis præferenda ſint *c. 2. x. d. Claud. Deſponſ. Richt. Decif. 8. n. 42.* tamen ſi copula ad clandestina priora accedat, antequàm ſponſalia publica fuerint celebrata, tunc illa his præferantur, *c. 30. x. d. ſponſal. Cypr. d. ſponſal. c. 10. §. 10. Beuſt. d. ſponſal. p. 1. c. 14. 15. Richt. Decif. 8. n. 55. 84. 88. & Decif. 88. n. 17. Hier. Brückn. in Decif. Martim. c. 4. §. 41.*

THESES. XII.

Quæſtio nunc denique emergit, quid ſentiendum, SI SPONSALIBUS CLANCULUM CELEBRATIS, vel EX UNA, vel EX UTRAQUE PARTE JUSJURANDUM ACCESSIT; Nùm & hoc efficiat, ut ea convaleſcant, & proinde ſtrictè à jurante ſervanda ſint? Diftinguendum eſſe putamus inter FORUM EXTERNUM, & INTERNUM: Quoad illud, ſi ex *Jure Juſtiniano* deciſionem petere velimus, eandem non adeò difficulter reperire libebit; Quippe de eo jam eſt expeditum, juramentum actum LL. prohibitam, adeoque ipſo jure nullum, convalidare non poſſe, per *l. 5. §. 1. C. d. LL.* Proinde nec illud in caſu jam allato obligationem producere valebit, utpote cum nec hic actus principalis, cui ſacramentum accedit, jure ſubſiſtat, conf. *ſupr. ib. 6. Jus verò Canon.* circa propoſita quæſtionis enodationem majorem movet difficultatem; Illud quippe non attendit, nùm actus, cui jusjurandum accedit, ſit lege humanà prohibitus, modò illud *ſine dolo & vi præſtitum in alterius præjudicium non tendat, nec obſervatum vergat in jurantis diſpendium æternæ ſalutis* per *c. 28. x. d. Juraj. conf. & Franzk. l. 2. Reſol. 5. B. Struv. S. J. C. Ex. 17. ib. 22.* Sed quia lex inter alia ideo prohibet clandestina ſponſalia, ne fraudes, clam adhiberi ſolita, committantur, & animi, præſertim juvenum, in negotio tanti momenti dolosè circumveniantur, ficuti



sicuti in fraudem ejusmodi legis salutaris plerumque elicitur juramentum, ut, licet lex obligationem promisso clandestino demat, nihilominus juramentum huic additum stringere debeat, ita merito praesumitur intervenisse dolus, quando non aperte & in praesentia testium, prout lex vult, sed clam & remotis arbitris sponsalia celebrantur, & sic ob praesumptionem fraudis & doli, quae militat contra provocantem ad juramentum, iudex in FORO EXTERNO etiam juxta Jus Canon. sponsalia clandestina non ita pronunciabit valida, ut jurantem cogat consummare matrimonium; Si enim statueret, quod juramentum clandestina sponsalia convalidaret, in fraudem optimae legis, quae ob multa mala vitanda clandestinitatem prohibet, facile per artes, quas amantes miris modis exercent, extorqueri posset juramentum, & dum ab una parte vitare vellemus perjurium, ab altera occasione praeremus, contra conscientiam & utilitatem publicam alios inducendi ad juramentum. Utrum vero iudex talia sponsalia declarare nulla, an per relaxationem a juramento factam rescindere debeat, quaeri possit; juxta Jus Canon. videtur posterius asserendum, per *c. 12. x. d. Jurorj.* In FORO autem INTERNO is, qui scit, absque alterius dolo & fraude deliberato animo se praestitisse juramentum, obligatur, ut id servet; nec legis externae utatur auxilio.

THES. XIII.

Ceterum AN, citra jus positivum, rem NATURALITER considerando, JURAMENTUM DOLO ELICITUM OBLIGET, non conveniunt Dd. dum alii affirmativam, alii negativam tuentur: Nos distinguimus, an dolus ita se habeat, ut jurans aliquid factum praesupponat, quod revera ita se non habet, ac nisi id credidisset, non fuisset juraturus, quo casu cum *Grotio l. 2. c. 13. d. J. B. & P.* statui- mus non obligare juramentum; Si autem dolus ita adhibetur, ut jurans quidem non praesupponat aliquid necessarium, sed tamen calliditate alterius circumventus non rite
expen-



expandat negotium, & ob vehementiam affectuum, vel
aliam causam precipitanter agat, obligat juramentum, nec
temerè contra illud est agendum.

THES. XIV.

Extraditis usque hùc facili nunc negotio etiam alius
adhuc quæstionis enodationem promanare videmus: Quar-
nimirum, SI QUIS, SPONSALIBUS CLANDESTINIS
JURATHS INITIS, postea CUM ALIA PERSONA
PUBLICA QUOQUE CELEBRET, quid tunc sentien-
dum sit, & utra ex iis præponderent? Sanè publica poste-
riora clandestinis prioribus, juramento non attento, præfe-
renda esse existimaverim; Idque triplicem potissimum ob
rationem, quia (1) alioquin feret præjudicium illi personæ,
quæ juxta legem & Ordinationes ecclesiasticas publica spon-
salia bonâ fide celebravit; Neutiquam autem ferendum
est, ut ille qui secundum legem actum aliquem perficit,
in eo circumduci ac decipi debeat; Nec juramentum quo-
que (2) si aliter illud subsistere velimus, in præjudicium
tertii vergere debet, vid. c. 28. x. d. Jurej. verb: cum in alte-
rius præjudicium non redundent, it. c. 2. d. Pañ. in VI. verb:
Nec redundet in alterius detrimentum, conf. & Struv. s. J. C.
Ex. 17. tb. 22. J. N. quippe conveniens est, alterius facto
non debere alicui iniquam conditionem inferri, per l. 206.
d. R. 7. Præterea (3) si asserimus, sponsalia de FUTURO
jurata, quæ tamen à Jure aliàs non improbantur, iis quæ de
PRÆSENTI postea celebrata fuere, postponenda esse, mul-
to magis utique idem asserendum venit in casu proposito
de clandestinis sponsalibus, non habitâ ratione jurisjuran-
di, utpote cum jura ac ipsæ LL. ea reprobent ac detesten-
tur; Ast verò assertio prioris luce clarius patescit ex c. 31. x.
d. Sponsal. & Matrim. Necessum est ergo, posterius quoque
immotâ suâ veritate inniti, quod nim. clandestina sponsa-
lia, jurata quoque, publicis, etiamsi injuratis, cedere de-
beant.

THES.



Ordo nunc denique efflagitat, ut ad posteriorem quoque Claustrorum sponsalium acceptionem nos accingamus; Dicitur est quippe *supr. th. 5.* clandestina sponsalia, quandoque indigere ea, QUAE, mille licet testibus presentibus, SINE CONSENSU PARENTUM CELEBRATA FUERE; Ratione appellationis exinde petita, quod in hisce publica desit parentum autoritas, quodve contra Jus parentum consensum desiderans, ineantur v. l. 73. §. 2. d. Re. J. Beust. d. Sponsal. c. 23. S. Clandestina uera sponsalia; Manser. d. Nupt. p. 319. In qua eadem significatione & B. Luber. illa accipiens, in lib. d. Caus. Matrim. sic scribit: *Hinter sich Verlobniß heisse ich / daß da geschicht hinter Wissen und Willen derjenigen / so die Oberhand haben / und die Ehe zu stifften Recht und Macht haben / als Vater / und Mutter / und was an ihrer Statt seyn mag:* Et hoc sensu clandestina sponsalia sumta sic delineamus, quod SINT MUTUAE PROMISSIONES FUTURARUM NUPTIARUM, CITRA CONSENSUM PARENTUM INITE. v. Cypr. d. Sponsal. c. 10. §. 1.

Cum Parentum persona liberis nunquam non sancta & admodum veneranda debeat esse sec. l. 19. ff. d. Obsequ. par. & patr. prest. Sanè jura haud immerito inter alia quoque constituerunt, nec iis licere eorundem absque consensu sponsalia celebrare, vel ad Nuptias adspirare; utpotè cum non minima pars obsequii ac reuerentiae, hisce personis debita, in eo consistat, ut liberi iis in re tantum momenti ac periculi non refragentur; sed eorum consilium sequantur: Et quidem respectum si habeamus ad JUS NATURAE utique nobis dicendum est, idem illud admodum desiderare, parentalis autoritas ac consensus sponsalibus liberorum ut intercedat, v. pr. J. d. Nupt. verb. *Naturalis ratio.* Num enim moralium quis forsitan erit, cui dictamen illud, quod cuique inest, Naturale, non injungat, quod parentibus, qui

tot labores, tot sollicitudines, tot curas, liberorum causâ sustinent, hoc honoris minimum habendum sit, ut in nuptiis contrahendis adhibeatur consensus eorum, quibus sanè pro immensis beneficiis nunquam par gratia, nunquam æquivalens honos rependi potest, conf. *Cypr. d. sponsal. c. 6. §. 1. n. 2. 3.* Nolim tamen hoc eo sensu intelligi, quasi Jus Nat. tam præcisè parentalem consensum in nuptiis liberorum exigat, ut ejus defectus earundem invaliditatem, ac matrimonii contracti annullationem, aliosve similes effectus in foro externo causetur; Huncce quippe effectum, sicut & alios infra recensendos, clandestinæ nuptiæ potius ex J. Civili quàm Naturali, sortiuntur, v. §. 12. *J. d. Nupt.* sed eò tantum intellectum velim, quòd eadem, respectu conscientia, pro tutis non sint habendæ, quòdve hi gravissimè peccent, qui, contempto parentum saluberrimo consilio, ad conjugia profiliunt, v. *Strauch. Diss. ad J. J. 2. tb. 19. Struv. S. J. C. Ex. 29. tb. 23.* Ab eodem J. Natur. nec JUS DIVINUM secessum facit; Nam & hoc parentum voluntatem ad liberorum matrimonia exigit, prout sat clarè ex Decalogi præcepto quarto, eoque tam in Veteri Testamento inculcato, quàm in Novo quoque sæpius repetito, patescit, v. *Exod. 20. v. 12. Matth. 15. v. 4. 5. 6.* idque in tantum, ut parentes dissentientes promissionem matrimonii clàm factam revocare possint; Nam si quòcunquè votum à filia, in domo patris, Deo ipsè factum, pater revocare potuit, per dicta in *Num. 30. v. 4. 5. 6.* utique multò magis sponsalia ac votum matrimonii, patre incio, juveni aut viro factum revocandi jus fuit. v. *Hieron. Brücknerus Decif. Matrim. t. 2. n. 23.*

THES. XVII.

Minus dubii movet circa hunc passum JUS CIVILE, ceterum de quo jam sat expeditum est, non aliter legitima sponsalia procedere, nisi eorum, quorum in potestate contrahentes sunt constituti, consensus & autoritas, tanquàm essentialis, h. e. causa quæ efficientem necessariò comitetur, accedat, per-



l. 12. 26. C. d. Nupt. l. 7. §. 1. ff. d. Sponsal. pr. §. d. Nupt.
adeò ut si nepos, in simul cum patre in avi potestate con-
stitutus, contrahere velit, non avi tantum, sed & ipsius pa-
tris consensus, in cujus potestatem post mortem avi recal-
tus est, accedat, necesse sit, per *l. 16. §. 1. ff. d. R. N. add.*
Stmich, Diff. ad §. 2. ib. 19. Struv. S. J. C. Ex. 29. ib. 3.
Quin imò in tantum jura hoc extendunt, ut nec filiusfam.
MILES sine patris consensu ac voluntate ad matrimonium
adspirare queat; *l. 35. ff. d. R. N. add. Hier., Brücknerus De-*
cif. Matrim. c. 2. n. 28. Et quidem secundum apices LL.
Civilium consensus parentalis promissionem matrimonii,
PRÆCEDERE DEBET; nec proinde sufficit, si per modum
ratihibitionis postea interveniat, arg. *pr. §. d. Nupt.* Tradi-
tis usque huc autem non refragatur, quod matrimonia li-
bera planè debeant esse, *l. 134. ff. d. V. O. l. 14. C. d. Nupt.*
ac proinde parentalis consensus, tanquam liberam illam con-
trahendi facultatem, dependentem ex solo arbitrio contra-
hentium, impediens, accedat non sit necesse. Resp. enim,
quòd & illa matrimonia libera censeantur, quæ cum volun-
tate parentum contrahuntur; Lex quippe, matrimoniis ad-
scripta libertatem eorundem non tollit, utpote cum illud quo-
que liberum dicatur, quod sub certâ lege est liberum, quan-
doquidem & libertas certis Juris cancellis est circumscripta,
v. §. 1. J. d. J. Person.

THEES. XVIII.

211 Dieta in th. antecedenti cum de tali subjecto sint in-
telligenda, quod habile & capax quoque est consensus; cum
sanè frustra consensus alicujus expectetur, qui nullus est; Hinc
circa dubium nec illa sponsalia, quibus FURIOSI ac MEN-
TE CAPTI PATRIS consensus & autoritas deest, clande-
stinis arguenda erunt, utpote cum furor ac mentis cec-
citas omnem voluntatem, ex quâ consensus profluit, exclu-
dat, per *l. 40. d. R. J.* idque clarioribus verbis decisum re-
perimus in *pr. §. d. Nupt. it. l. 25. C. d. Nupt.* Sed quid de
PATRE PRODIGO, cui nim. administratio bonorum est

C 2

inter.

interdicta, sentiendum, num & de hoc idem quod de Furioso, asseremus? Neutiquam sanè; Licet enim jura certis in casibus comparationem prodigi cum Furioso admittant, eà tamen hic non invenit locum. Prodigus enim, quantumvis sit pravis moribus, haud tamen mentè ac judicio caret, & consequenter quoque consentire potest, quod in furioso longè aliter se habet: Præterea, cum prodigo bonis saltè interdicatur, uti formula ostendit, quâ Prætor bonis interdicebat; utique reliqua juris beneficia ei salva manent: *l. 6. ff. d. v. o.* & sic nec jus patriæ potestatis amittit, utpote quod nullibi, ei ademptum esse, in jure reperire licet: Quod si ei tribuimus patriam potestatem, nec ipsi quoque denegandus erit ejusdem effectus, quem potissimum jura in eo constituunt, ut in nuptiis liberorum eorum consensus expecti debeat, *l. 20. C. d. Nupt. pr. j. d. Nupt. add. Cypr. d. spons. c. 6. §. 5. Carpz. J. C. 2. def. 43.* Idem quod de prodigo, etiam de PATRE IMPIO & CRUDELI assertum velim per dicta à *Cypr. loc. cit.*

THES. XIX.

Sed de MATRE quid dicendum, num hujus quoque consensus, pariter ut paternum, jura necessario ad firmitatem sponsaliorum desiderant? Affirmativam equidem tenet *Cypr. in Tr. d. sponsal. c. 6. §. 7. n. 1. 2. 3.* quam & LL. aliquibus ibidem allegatis corroborare putat; Verùm penitius Leges nobis inspicientibus, contraria sententia theoricæ veritati convenientior esse videtur; Licet enim PARENTIS nomen aliàs tam patri quam matri sit commune, cessat tamen in matre hoc in passu ratio, ob quam defectus paterni consensus sponsalia annihilat: Notanter quippe *supr. ib. 17.* diximus, ad subsistentiam sponsaliorum eorum parentum consensus jura exigere, quorum in potestate liberi sunt constituti, *pr. j. d. Nupt. l. 2. ff. d. R. N.* Jam verò femina eos in potestate non habet *sec. §. 10. J. d. Adopt. §. 3. J. d. Hered. qual. & diff. l. 13. ff. d. suis & leg. her.* Consequens ergo est, nec defectum consensus materni efficere, ut

ut sponsalia vitio clandestinitatis laborent. Dissidentium
argumenta, quæ potissimum *l. 1. § 20. C. d. Nupt.* innitun-
tur, hoc demum inferunt, quod Imperatores & matris sen-
tentiam, ob *honestatem*, haud adspernandam esse velint, ut-
pote cum illa optimum capessere consilium ac liberis salu-
berrimè prospicere, semper præsumatur; Planè autem neces-
sitate legis inde induci, longè adhuc adest; Quid enim
obsecrò dicemus de *Adgnatis*, quorum itidem in *iii. l. 1. §*
20. C. d. Nupt. consensum adhibendum esse, proponitur, quor-
um tamen autoritas ut sponsalibus interveniat, secundum
dicenda in *tb. subsequ.* neutiquàm est necessarium.

THES. XX.

Quod de matre in anterioribus asseruimus, etiam in
FRATRIBUS, ADGNATIS, TUTORIBUS, ac CURATO-
RIBUS, ex rationis identitate, procedit; Nam & in hisce
personis deficit patria potestas; Nec quoque legis au-
toritas extat, quæ specialiter sponsalia, inira absque harum
personarum consensu, clandestina haberi jubeat: Clandesti-
nitas autem sponsalium absque lege & juris autoritate in-
ducenda non est; *arg. Nov. 18. c. 5.* Et quid denique pro-
lixiori rationum adductione opus? Expressa quippe Con-
stitutio Imperatoria omnem ulteriorem scrupulum evellit;
eam autem reperire licet in *l. 8. C. d. Nupt.* verb: *In copu-
landis nuptiis nec cognatorum nec affinium ulla autoritas interve-
nire potest.* add. *l. 4. C. d. Sponsal. Carpz. J. C. 2. d. 46. Heig.
p. 1. qu. 22. n. 10. & seqq. Maufer. d. Nupt. p. 350.*

THES. XXI.

Ex usque huc traditis facile nunc quoque colligere li-
cet, quid de FILIIS EMANCIPATIS asserendum veniat;
Namque nec hi ad nuptias incundas paterno consensu in-
digent, per dicta in *l. 25. ff. d. R. N. l. 3. §. 5. ff. d. B. P. c.
abb.* utpotè cum ii per emancipationem patriâ potestate so-
luti fuerint, *sec. §. 6. J. qu. m. J. p. pot. solv.* ac consequen-
ter quoque ratio in illis cesset, quæ alios liberos ad paternum
requi-



requirendum consensum adstringit. Sed quid in FILIA EMANCIPATA obrinere dicemus? Sanè de eâ res non adeò expedita est; sunt enim, qui ad nuptias ejus patris consensum desiderant, sunt quoque ex adverso, qui illum non necessarium esse contendunt: his ad stipulandum esse videtur, qui filiam emancipatam, quoad 25. annum attigerit, ad paternum consensum prius adhibendum adstringunt per *l. 18. & 20. C. d. Nupt. add. Struub. Diff. ad J. J. 2. th. 19. Carpov. J. C. 2. d. 49. Cypr. d. sponsal. c. 7. §. 13.* Præterquam enim, quòd in multis juris articulis deteriorem fœminarum, quàm masculorum conditionem invenimus, *l. 9. ff. d. stat. hom.* præterea sanè tam sexus, quàm ætatis imbecillitas, ac consilii infirmitas suadere videtur, ut fœmina arctiori jure, quàm masculus adstringatur, utpote cum plus quoque periculi in filiâ quàm filio metuendum sit, v. *Cypr. loc. cit. Perez. ad C. t. d. Nupt. n. 17.*

THESES. XXII.

Sed annon filiis emancipatis forsàn MAJORENNES quoque, seu qui annum 25. exceßerunt, item LIBERI VIDUI, VIDUÆVE annumerari possunt, sic, ut eorum promissiones matrimoniales, spero licet patris consensu, firmiter teneant? In negativam nos descendimus sententiam. Nullibi enim in J.L. constitutum reperimus, majorenem ætatem aut matrimonium modum esse patriæ potestatis solvendæ, quæ quousque durat, & constitutio *l. 2. ff. d. R. N. in suo vigore & illibata manet, add. Hier. Brücknerus Decis. Matrim. c. 2. n. 32. 34.* Volunt equidem alii in FILIABUS diversum quid obtinere, sic ut post annum 25 eis, inconsulto patre, nubere permissum sit, vid. *l. 18. C. d. Nupt.* addita hæc ratione, quòd puellarum nuptiæ, absque periculo, tamdiu protrahi ac differri nequeant, sicuti masculorum, conf. *Cypr. d. sponsal. c. 7. §. 14. Carpov. J. C. loc. sep. cit.* Verùm hanc sententiam nosmet suis autoribus relinquitimus.

THESES.

THES. XXIII.

Vidimus hactenus quid de Jure Civili obtineat circa parentum parentum; quid autem **JUS CANON.** statuat, fat clarè patet ex *c. Non omnis c. 32. qu. 2. in fin. c. Nosmetes. c. 30. qu. 5. & alià pl. text. add. Hunn. ad Trentl. Vol. 2. D. 6. ub. 5. qu. 45.* Nim. idem hoc Jus Pontificium, pariter ut Jus Justinianèum, omnia sponsalia, parentum consensu defrutata, tanquam Clandestina respuit, & infirma esse jubet; Licet enim alii hoc non adeò indistinctè admittere, sed potiùs de **J. Canon.** inter **HONESTATEM** ac **NECESSITATEM** discrimen faciendum esse, velint; Nobis tamen potiùs allubescit eorum amplecti sententiam, qui puram tenent affirmativam, asserentes nimirum, quòd non tantum ob honestatem Jus Canon. parentalem consensum in liberorum sponsalibus desideret, sed quòd & ipsa Juris hujus Necessitas eundem sub pœnâ annullationis urgeat, uti distinctius elucet ex *c. 1. c. 30. qu. 5. verb: Aliter legitimum non sit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custodiuntur, uxor petatur, & à parentibus & propinquiioribus sponseur.* Et paulo post: *Ita peracta legitima scitote esse connubia aliter verò presumta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia vel supra, aut fornicationes potius, quàm legitima conjugia esse non dubitate:* add. *Strauch. Diff. ad J. J. 2. ub. 19. II. Hier. Brücknerus Decif. Matrim. c. 2. n. 50. & seqq.* Argumentis, quibus dissentientes vallati sunt, ex assè satisfaci modò alleg. *Brücknerus loc. cit. add. & Hunn. ad Trentl. loc. supr. cit.*

THES. XXIV.

Cæterum in eo **MORES à STRICTO J. CIVILIS RIGORE** secessum faciunt, quòd hi, non tam patriam illam potestatem Civilem, quàm potiùs reverentiam ac honorem, utrique pariter parenti naturaliter debitum, respicientes, etiam **SPONSALIA SINE MATRIS CONSENSU A LIBERIS CONTRACTA, CLANDESTINA** ac **IRRITA DECLARENT**, vid. *Strück. p. 1. Conf. 5. n. 19. Hieron. Brückner. Decif.*

Decif. Matrim. c. 2 n. 74. Carpz. J. C. 2. Def. 44. Ubi tamen, pater si forsã à Matre de filiã elocandã dissentiat, voluntatem patris maternã præferri, extra dubium, quin & ipsi rationi Naturali consentaneum esse puto, tum propter imperium, quod summum in familiã pater tenet, tum, quod ille quoque rectius liberis, quã mater, consulere posse censetur, vid. *Cypr. d. sponsal. c. 6. §. 8. Cælmann. Vol. 1. Consil. 1. num. 686.*

LIBER METAPHYSICÆ, XXVI. noua. J. C. d. spon-

Pariter ubi parentes non adsunt, nec FRATRUM, ADGNATORUM, TUTORUM ac CURATORUM, consilium & scientiam in sponsalibus ineundis negligendam esse, asserunt *Petr. Heig. pag. 1. qu. 22. num. 10. Hieron. Brücknerus Decif. Matrim. c. 2. n. 77. 78.* & idem illud omnium fere gentium praxin communem approbare, attestatur *Cypr. in Tract. d. sponsal. c. 6. §. 9.* Quod tamen non itã intelligendum, ac si, quando de facto forsã citra personarum jam recensitarum consensum sponsalia fuerint inita, illa tanquã clandestina, pro invalidis ac nullis habenda sint, vid. *Carpz. J. C. 2. def. 47.* sed eo tantum est accipiendum, quod si res plane adhuc integra est, tunc harum quoque personarum, non, inquam, *consensu*, sed tantum *arbitrium ac consilium* sponsalibus ut intercedat, pietas pariter & honestas requiratur vid. *Carpz. loc. cit.* An non autem per speciale forsã statutum sanciri queat, ut defectus quoque consensus v. g. tutoris vel curatoris clandestinitatem & nullitatem sponsaliorum pupilli procreare debeat, vel an non potius talis lex, utpote libertatem matrimonii impediens, abroganda sit, de eo dissentiens est inter Dd. sententia. *Beuf. in Tr. d. sponsal. se accingit negativã sententiã, affirmatiuã autem sectatur Cypr. in Tr. d. sponsal. c. 6. §. 12. n. 4.* à quo nec dissentit *Treuil. in Comm. ad ff. i. d. R. N.* Ut nostram hic dicamus sententiam, Si justam dissensus causam habent tutores vel curatores, quam magistratui probare possint, tunc non iniquum esse putamus, si lex in tali casu statuit, quod spon-

Sponsalia minorum; ob ætatis imbecillitatem deceptioni facile obnoxiorum, debeant esse nulla; qui enim seipſos regere non possunt, recte ab aliis regi jubentur; & hæc libertatis ademptio non nocet, sed maxime prodest.

THES. XXVI.

Pari ex fundamento, licet filius EMANCIPATUS de jure civili ad consensum paternum ad sponsalia requirendum non adstringatur, hoc sensum tamen nec liberi, patris potestate soluti, absque voluntate parentum sponsalia valida contrahunt per dicta *Ad. 4. ad J. Lubecense. l. 4. art. 2. n. 17. add. Hieron. Brückner. decif. Matrim. c. 2. n. 79. Carpel. J. C. 2. d. 49.* quod & de MAJORENNIBUS liberis dictum velim, utpote in quibus Mores nil diversum a J. Civili introductile reperire licet, quinimò idem expressâ sanctione Electorali confirmatum esse apparet ex *Ordin. Matrim. d. Anno 1624. in pr. verb: Es sollen sich keine Kinder / Söhne oder Töchter / wes Alters die seyn / ohne Vorwissen und Einwilligung ihrer Eltern ec. Verloben.*

THES. XXVII.

Clandestinorum sponsalium nomine (in posteriori scilicet acceptione) quæ nunc veniant, ex hæcenus allatis dubio procul sufficienter cognoscere licet; de EFFECTU eorundem jam paulò distinctius quædam proferemus: Quantumvis autem, etiam omni lege humanâ cessante, hi, qui posthabitâ parentum autoritate ad conjugia furtivo congressu præperant, sat ingentibus pœnis ipsimet se subdant, dum sanè ipsum Deum ultorem parentalis contempta reverentiæ, habent, & infelicissima atq; infortunata admodum matrimonia, teste experientiâ, metuere debent; prout manifestum ejus testimonium in S. Literis nobis exhibet Esau, qui contra parentis voluntatem uxores duxit; & propterea, tanquam scortator & impius, vero carbone à Spiritu Sancto nominatus, & benedictio-

D

dictio-

ditione, aliis ipsi debet, cum jure primogenitura privatus est; vid. Hebr. 1. 2. v. 16. 17. add. Hier. Brückner. Decis. Matrim. c. 2. n. 16, Nihilominus tamen LEGES, ad magis coercendam liberorum procaciam, saluberrimè constituerunt, quòd sponsalia, parentibus invitis vel incisiis inita (centum licet iis intervernerint testes) ipso Jure nulla ac omni firmitate destituta esse debeant. Pro necessario enim nuptiarum requisito leges civiles consensum parentum, in quorum potestate liberi sunt, exigere jam *supr. ib. 17. meminimus, & ex pr. J. d. Nupt. l. 7. C. d. Nupt. aliaque jam supr. allegatis text.* sat clarè constat. Non potest ergò non sequi, eo deficiente, ipsa quoque sponsalia irrita ac invalida esse, v. Harpprecht. ad *Inst. pr. d. Nupt. n. 131.*

THES. XXVIII.

Nec meliorem effectum clandestina sponsalia contrahentes ex JURE CANON. sibi promittere possunt. Nam & idem hoc jus promissiones matrimoniales clam parentibus factas, improbat, ac invalidas esse jubet, id quod sole-
clarius patescit ex *Canon. Non omnia. c. 32. qu. 2. Can. 1. c. 30. qu. 5. add. que supr. ib. 23. prolixius dicta fuere, it. Servus. S. J. C. Ex. 29. ib. 25.* De MORIBUS tamen restringendum hoc est ad sponsalia, ac futuras nuptias; Nam si de facto matrimonium sit contractum, tunc illud subsistere, nec rescindendum esse, communiter Dd. sentiunt. *Carpzov. in J. C. 2. d. 38. 50. it. Hieron. Brückner. Decis. Matrim. 2. n. 50.* Et collimat huc vulgatum illud ἀέλωμα Theologorum, heimliche Verlobniß stiften keine Ehe/ propter contemtam scilicet parentum auctoritatem; v. *Cypr. d. sponsal. c. 10. §. 9.* quod itidem haud obscurè quoque innuere videntur verba B. Lutheri, quæ leguntur in *Tom. 5. Jenens. fol. 238.* Das heimliche Verlobniß/ weil da noch keine Ehe im Werck/ und der Magd und ihren Eltern/ noch keine thätliche Verletzung geschehen/ sondern noch ganz in der Eltern Verbot und Gewalt stehet/ soll gänzlich verhindert/ und für keine Ehe gehalten werden. Hand sicco

ficcō pede autem præterire licet, id quod & *Carpz. in J. C. loc. alleg.* annotat, quod, licet sic sponsalia, quæ parentum voluntate & consensu egent, ipsa jura invalida ac irrita pronuncient, eo tamen sententia judicis seu Consistorii, declaratoria non excludatur, sed & hujus cognitio ut accedat, è re admodum esse videatur, quò nim. lites, ut plurimum emergentes, facilius decidi ac terminari queant. vid. *Beuff. d. sponsal. p. 1. c. 22.*

THES. XXIX.

Non verò in eo subsistendum est, ut sponsalia clandestina infirma ac nulla à jūdice pronuciari tantum dicamus; Sed & præterea, cum per illicitos ejusmodi conatus liberi haud leuem injuriam ipsis parentibus inferant, eos pœnâ meritò coercendos esse, non sine ratione asserit *Beuff. in Tr. d. sponsal. c. 20. it. Carpz. J. C. 2. d. 50. add. Hieron. Brückner. Decis. Matrim. c. 2. n. 124.* Reipublicæ namque interest, delicta non manere impunita, l. 18. §. 1. ff. d. Jud. l. 14. C. d. Pœn. & cum sanè nemini injuriam impunè inferre liceat, cur in parentibus hoc deberet admitti? Quin imò, omni aliâ ratione cessante, vel propter exemplum saltem castigatio non erit omittenda, *Peir. Heig. p. 2. qu. 37. n. 27. add. Carpzov. loc. cit.* Alicubi tales liberos, ob temeritatem perpetratam, suspensione temporariâ ab honore fidejussionis baptismalis, conviviis nuptialibus & choreis (von Gvatter schafften/ Hochzeitlichen Ehren/ Gelacken/ und Tãnzen) coerceri solere, attestatur *Hieron. Brückner. in Decis. Matrim. c. 2. n. 70. add. Menoch. d. Arbitr. jud. l. 1. qu. 68. n. 8. it. Cypr. d. sponsal. c. 7. §. 15.* Sed quid, si parentes filio filiaevè injuriam sibi per clandestina sponsalia illatam condonaverunt? An Magistratus nihilominus in eum vel eam ex officio animadvertere possit, quærunt *Dd. Cypræus* respondet Affirmativè v. plur. *Tr. d. sponsal. loc. cit. n. 6.*

THES. XXX.

Num verò ea, quæ in antecedenti *de* de punitione, liberorum diximus, etiam eo trahenda sint, ut parentibus quoque concessa sit facultas tales liberos, qui ipso eorum consensu sponsalia inire, exheredandi, de eo non est unanimes Dd. sententia; Nam quidam indistincte, alii autem quoad filiam solum Affirmativam amplectuntur, alii purè Negativam tenent; Et quidem, si Leges tantum Civiles inspiciamus, nobis fatendum erit cum *Struv. S. J. C. Ex. 32. ib. 34. it. Hamm. ad Trivul. Vol. 2. D. 16. qu. 47.* neglectum consensu parentalis non ita considerari, ut sufficientem præbeat causam exheredationis; Nec enim ab Imperatore in *Nov. 115. c. 3.* in quo tamen causæ nominatim enumerantur, hanc quoque recenseri invenimus. Nec scrupulum movet *cit. Nov. 115. c. 3. §. 11.* Ibidem enim solum dicitur, quod illa possit exheredari, si vitam luxuriosam degere elegerit, de neglecto autem consensu parentali ne jota quidem mihi invenimus; Cæteris, quæ possent obstat, ex asse respondet *Struv. loc. cit. add. Gail. l. 2. obs. 95. Harppr. in pr. J. d. Napt. n. 47.* Interim tamen non negaverim, Constitutiones forsitan speciales aliquibus in locis contrarium introduxisse. *v. Carpz. J. C. 2. d. 54.* prout & claris verbis testatur *Ordin. Matrim. Elector. d. Anno 1622. part. 1. §. 1.* Und da sie hiesiber und über beschene Vermahnung und Verwarnung, wieder ihrer Eltern Willen/ stracks darauff verharren --- Etc. pauld infr. ihnen hienit nachgelassen seyn/ solche ungehorsame Kinder bis uff den halben Theil ihrer gebührenden legitima und nach Gelegenheit der Ursachen ihres verweigereten consensus gänglich zuenterben.

THES. XXXI.

Sponsalibus à JUDGE nullis declaratis, incidit quandoquidem quaestio de ARRHIS. *Mahl Schatz/ Hand/ Freu* (quo nomine ut plurimum anuli traduntur, *l. 36. §. 1. ff. d. donat. inter V. & U.*) quid Juris nimirum circa has obtineat, num hinc inde restituendæ, an verò traditæ retinendæ sint? Prius asse-



asserit communis Dd. Schola per l. 5. v. *que in custodia* &c.
C. d. *sponsal.* quam nec nos frequentare dubitamus; Cum
enim arrha sponsalitia sit symbolum ac testera promissi ma-
trimonii complendi, l. ult. C. d. *sponsal.* Cypr. d. *sponsal.* c. XL.
§. 4. utique datio arrharum cessat, exque propterea resti-
tuendæ sunt, sponsalibus invalidis pronunciatis; Cessat enim
sic causa finalis utpote cum eadem nunquam adimpleri pos-
sint, Carpz. J. J. C. 2. d. 21. Quibusdam tamen in iudiciis
seu Confessoriiis receptum videmus, arrhas partis nocentis,
qui nim. dissolutioni causam dedit, v. Hier. Brücknerus Decif.
Matrim. c. 1. n. 78. loco poenæ iudicio ejusque assessoribus
in commissum cadere, v. *prajudic. in Carpz. loc. cit.*

THES. XXXII.

Quantumvis autem hæc, quæ de Effectu Claudesti-
norum sponsalium, eorumque invaliditate usque huc præ-
lixius deducta, regulariter firmâ suâ consent veritate, cer-
ti tamen sunt modi, quibus ea admodum fallere, & limita-
tionem admittere, videmus: Quid enim obsecrò dicemus,
si sponsalibus, ab initio equidem parentum consensu de-
stitutis, idem postea per modum RATIOHABITIONIS
accedat, atque sic parentes injuriam sibi à liberis illatam,
sponsalia ratificando, remittere velint? Utique tunc vitium
claudestinitatis purgari, & sponsalia convalidari, asseren-
dum est cum Carpz. J. J. C. 2. d. 41. Alber. Gentil. l. 4. d. Nupt.
c. 3. Dn. Christoph. Herold. d. Ratificat. c. 2. sect. 1. n. 61. Nec verò
obest, quod supra in *ib.* 17. diximus, consensum parenta-
lem PRÆCEDERE DEBERE, adeoque ratihabitioni non
esse locum; Præterquam enim quòd ibidem de Jure Civili
locuti simus, hinc autem de eo, quod Moribus, vel quorun-
dam locorum statutis obtinet, sermo sit, sanè præterea illud
eò tantum est intelligendum, quod Ratihabitio superveniens
non hoc operetur, ut retrò se extendat, & claudestinitatem
sponsaliorum à tempore, quo contracta sunt, purgare va-
leat; Propterea tamen hoc non est diffidendum, quod à tem-

D 3

pore

pore interpositi consensus eadem convalescant, & firma red-
 dantur, v. *Carpz J. C. 2. d. 41. Dn. Herold. d. Ratificat. loc.*
alleg. n. 75. 76. Srauch. Diff. ad J. 7. 2. th. 20. Harppr. ad
pr. J. d. Nupt. n. 111. INDUCITUR autem RATIFICATIO
parentalis non tantum ex VERBIS EXPRESSIS, puta, si pa-
triam pater confessus fuerit, se velle, sponsalia contracta valida &
nam esse, & omnem insimul illatam sibi injuriam condonare; sed
& eadem quandoque TACITE ex actibus aliquibus, qui ra-
tificationem & illatae injuriae remissionem innuunt, praesu-
mitur, veluti, si post celebrata sponsalia pater filium paterno af-
fectu prosequatur, liberaliter ac amice tractet, beneficia ei exhibeat;
Ubi tamen non immerito prudenti judicis arbitrio
opus est, qui secundum personae reique qualitatem de tali-
bus actibus judicabit, Dn. Christoph. Herold. loc. cit. n. 64.
65. 66. Ceterum hoc certum est, quod sponsalia semel rati-
ficata a patre, ejus postea dissenso superveniente, rursus re-
tractari non possint. vid. Traqu. d. LL. Connub. gloss. 8.
qu. 14. n. 125. add. Dn. Christoph. Herold, d. Ratificat. loc. cit.
num. 76.

THESES. XXXIII.

Sed, annon COPULA CARNALIS & impraegnatio
 sponsalibus, clam parentibus initis, accedens parem effectum
 cum Ratihabitione paternâ operetur, frequens est inter Dd.
 quaestio. STRICTÆ JURIS RATIONI SI inhareamus,
 forsân dicendum est, quod nec concubitus sponsalia clan-
 destina, utpote ipso jure nulla, §. 12. *J. d. Nupt. corroborare,*
iisque firmitatem tribuere valeat, arg. l. 10. C. d. SS. Eccles.
l. 5. C. d. LL. Facit quippe actum nullum, qui contra legem
facit, Alciat. in l. 10. C. d. SS. Eccles. Dec. Conf. 502. Verum plurimi
HODIE contrariam defendunt sententiam, quod nimirum,
tali emergente casu, stuprans per benedictionem sacerdotis
lem, non attento, quod parentes ejus dissentiant, de moribus
ad consumm. anda sponsalia adigendus sit, v. Cypr. d. sponsal. c. 10.
§. 10. Harppr. pr. J. d. Nupt. n. 122. Schneid. de v. ad Inst. t. d. Nupt.

p. 2. n. 35. Licet namque parentes perpetuò refragentur; nequeunt tamen tam præfractè potestate suâ abuti, ut, citi manifestâ feminæ vitiatæ injuriâ, separationem cauentur; Harpp. cir. l. n. 126. Est præterea quoque (1) publica Ratio, quæ admodum suadet, ut hoc in casu à Rigore juris recedamus, quò nim. publica, quæ aliàs exinde provenire solent, scandala evitentur; Est & (2) favor partûs, qui nec parùm urget, ut clandestina ejuscemodi sponsalia per subsequens matrimonium adimpleantur, ne liberi videl. aliàs pro spuris & illegitimis proclamantur; Refert hinc Carpz. p. 4. c. 20. d. 15. Lipsienses Scabinos ita pronunciasse; Da aber dennoch selbige Personen allbereit sich fleischlich miteinander vermischet, und also ehelichen zusammen gehalten hätten u. so möchte auch die Ehe dahero/ daß die Eltern damit nicht zufrieden/ keines weg getrennet und aufgehoben werden. Fallunt tamen dicta, si ipsa forsân puella vitiata consummationem matrimonii recuset, utpote cui planè liberum est favori pro se introducto renunciare; Vel etiam quandoque, si ipsius puellæ parentes in adimplementum sponsaliorum non consentiant, justis forsân dissensûs sui causis prolatis, quòd v. g. stuprator sit fornicarius, vel aliàs vilissimæ conditionis homo, Exod. 22. v. 16. v. Habn. ad Wesf. t. d. sponsal. n. 3.

THEs. XXXIV.

Ad arduam denique devenimus quæstionem, & in quâ non minimam partem basis ac fundamenti Dissertationis nostræ consistere, benè dixerim, Quær. nim. si forsân adolescentens ignorante patre fidem matrimonii Amasiæ suæ dedisset, eamque, non sine execratione horrendâ, jurisjurandi religione corroborasset; Num parem vim ac idem robur, quod in 2. th. th. antecedd. Ratihabitioni patris & copulæ carnali attribuimus, ejusmodi juramentum elicito quoque procreet, ac sponsalia eo sic convalidentur, ut, parentes licet refragentur, tamen qui fidem dedit, ad eandem servandam obligatus sit? Quæ quæstio, cum accuratiori



tiori disquisitione indigeat, quædam de JURAMENTI NATURA, quò solidiorem inde deducamus decisionem, hæc præmittenda veniunt.

TRES. XXXV.

Juramentum, si consideremus secundum LL. Civiles, non aliter se habet, ac nudum pactum, v. *Bachov. ad Treutl. D. 21. th. 2. L. 2.* quod vi suapte obligationem & actionem producere non valet; Hinc videmus, ex iurejurando, quod PROMISSORIUM audit, non aliam competere obligationem, quam eam, quam nuda promissio, quæ in ipso juramento inclusa, alias importaret, vid. *Struv. S. J. C. Ex. 17. th. 21. Mann. ad Treutl. Vol. 1. D. 21. th. 2. qu. 6. Seraph. de Seraph. d. Privileg. Juram. 19. n. 7.* Neque enim illud ipsum ad actionem, sed exceptionem saltem producendam, sufficiens & efficax est, vi *S. 4. J. d. Except. add. Strauch. Diff. ad J. J. 12. th. 10.* Quid inde de Juramento aliis negotiis seu actibus accedente, quod alias CONFIRMATORIUM vocant, sentiendum sit, facile nunc demum concludere licet; Nimirum idem illud nec propria vi ac energia actionem vel obligationem civilem procreare potest, sed eandem participat ex validitate contractus, cui accedit; Si hinc principale negotium seu actus est nullus, ac LL. adversans, utique tunc nec juramentum, tanquam accessorium, subsistet, sed pariter quoque nullum & infirmum erit, vid. *supr. th. 12. it. Bachov. ad Tr. loc. cit. Prantzk. l. 2. Resol. 5. n. 20. add. l. 4. C. d. LL. l. 7. §. 16. ff. d. Pact.* Nec enim accessorio plus, quam rei principali, inesse potest, §. 7. *J. d. Fidejuss.* Nec mutat juramentum naturam & qualitatem negotii, cui adjicitur, l. f. *C. d. non num. pec. add. Prantzk. loc. cit. it. Struv. S. J. C. loc. alleg.*

TRES. XXXVI.

Hæc præmissis, nunc per se liquet, quid de proposito casu in *th. XXXIV.* secundum LL. CIVILES asserendum, veniat,

veniat; Nimirum non existimandum est, liberos hoc medio parentum consensum eludere, iisque præjudicium inferre posse, sed, juramento non obstante, nulla ac irrita erunt ejusmodi sponsalia, *Harppr. ad pr. J. d. Nupt. n. 134.* Si enim defendemus, quod *supr. ib. ib. 27. 28.* asseruimus, sponsalia nim. sine parentum consensu ipsò Jure non subsistere, utique ea nec juramento accedente convalidari dicendum est, v. *Beuf. d. Connub. c. 48.* cum; secundum *in anteced. ib. doct. a.* ei vis fortior, quam negotio principali, non sit attribuenda, sed idem illud naturam actûs principalis sequatur, *Gail. l. 2. obs. 23 n. 20.* Et quis deniq; non animadvertit, quòd, si firmitatem ac obligationem juramentum tale produceret, liberis per id anfa daretur hâc cautelâ vel potius fraude, quandoquæ velint in sponsalibus utendi, & sic per indirectum consequerentur, quod directò obtinere nequeunt.

THESES. XXXVII.

Circa decisionem propositæ quæstionis quàmvis de JURE JUSTINIANO nullum nunc forsàn superfit dubium, JUS tamen CANON. scrupulum adhuc movet; Nulli verò dubitamus, idem, quod de LL. Civilibus, etiam de hoc Jure asserere. Est namque Juris haud incogniti, Juramentum quodvis, contra bonos mores prælitum, non esse obligatorium, sed ipsò Jure nullum, *per. c. 58. x. d. R. J. in VI. l. 7. §. 16. ff. d. Pact.* Hanc videlicet propter rationem, quòd juramentum Deo teste suscipitur, & justitiam debet commitem habere; hinc consequenter quoque omnis turpitude ab eo exulare debet; *Impia quippe est promissio, qua scelere impletur, c. 5. c. 22. qu. 4. Franz. l. 2. Resol. 5. n. 11. 12.* Ecquis autem inficias ibit, juramentum, sponsalibus contra voluntatem parentum initis adjectum, bonis moribus, ac Juri Divino & Naturali, v. *supr. ib. 16.* admodum refragari, cum sanè principale negotium, cui accedat, Decalogi præcepto quarto, & ipsi Naturali Dictamini repugnet, v. *pr. J. d. Nupt.*

E

v. N4.

v. *Naturalis ratio*. add. *supr. ib. 16. it. Strauch. Diss. 2. ib. 19.*
Licit namque defectus parental consensus, prout eruditè dis-
serit Illustris D. Lynckerus, non inducat nullitatem ma-
trimonii de J. *Naturali*, nec consensus de necessitate vinculi
matrimonialis exigatur, de necessitate tamen vitandi peccati
adesse debet. vid. *Anal. ad J. c. d. Nupt.* Præterea omnes
Canonistæ unò quasi ore perhibent, quòd Juramentum non
debeat esse vinculum iniquitatis, quòdve vergens in præju-
diciu tertii servandum non sit, per c. *Inter cætera* c. 22. qu. 4.
c. 8. 17. 28. x. d. *Jurej. add. ib. supr. 14.* Sed annon idem hoc
certissimè eveniret, si clandestina liberorum sponsalia ob ju-
ramentum valida diceremus; Cùm sanè parentibus sic jus
competens absque eorum factò auferretur, ac vinculo tali
iniquitatis iniquissima conditio inferretur, v. *Hier. Brückner,*
Decis. Matrim. c. 2. n. 72. add. l. 11. l. 74. d. R. 7. nempè dùm
hoc medio patriâ potestate ejusdemque præcipuo effectû
defraudarentur. Firmo proinde fiat talo, quod nec secun-
dum Jus Canon. sponsalia clandestina juratò facta firmiter
teneantur.

THESES. XXXVIII.

Ab eadem hâc sententiâ nec MORES discedere, nec
THEOLOGOS quoque nostros abire, apparet tam ex ver-
bis B. Lurberi, quæ reperiuntur in *Libell. von Ehefachen*: Es
sollen auch nichts heissen / ob in der heimlichen Gelübniß Ge-
mahle Schâze / Hand / Gelübde / Eydt / oder Pflicht gefallen ic.
Pauli post: Es ist nicht die Frage / was das Kind gethan / ge-
schworen / bereydet / oder wie es sich verschworen / und vermahlet
deyet habe / sondern ob es Christlich und recht gethan ic. quam
ex *Consilio Consistorii Dresdensis*, quod refert *Carpz. in J. C. 2.*
d. 58. n. 17. verb: Wir seyn auch derselbigen Meynung / das
solcher Leichtfertiger Eydt den Eltern / als den tertius, ihr Recht /
so sie in *Jure Divino & humano* erlangt / nicht nehmen / und auch
sonsten / tanquam contra bonos mores, nicht bestehen. Ebnner
conf.

conf. pl. Pränzk. l. 2. Ref. 5. n. 16. ii. Hier. Brückner. Decis. Matrim. c. 2. n. 71. ubi & plurium Autorum & Præjudiciorum autoritate eandem hanc sententiam corroboratam reperies.

THESES. XXXIX.

Cæterum tamen hoc negari nequit, juramentum ejusmodi arguere jurantem temeritatis & peccati, adeoque eum rectè agere, si sibi siveque conscientie consulens, verà poenitentia ductus à Ministro ecclesie absolutionem petat; Hoc tamen modo consideratur juramentum ut peccatum, non quantum de ejus observatione ac validitate agitur, quæ hujus loci potissimum est. Parentes quoque, casu ejusmodi eveniente, admonendi erunt, ut, nisi graves obstant causæ, pro parcendâ liberorum conscientia, potius, præstito per modum Ratihabitionis consensu, ad servandum juramentum liberos obstringant, quàm perpetuo dissensu conscientie eorum laqueum injiciant, v. *Carpz. J. C. 2. d. 58.*

THESES. XL.

Ad finem nunc denique properamus, filium tamen, priusquam planè abrumpamus, antè adhuc DE JUSTO AC INJUSTO PARENTUM DISSENSU, quasi coronidis loco, quædam annectere non pigebit; Quicquid enim usque huc de sponsalibus, invitis parentibus celebratis, asserimus, sano sensu accipiendum & eò restringendum venit, si parentes quoque justas dissensus sui causas præferre queant. Nec enim iis permittendum est, abuti autoritate, à Jure sibi concessâ; Abutuntur autem eadem tam liberos invitos ad nuptias cogendo, quàm eosdem injuriâ ab iis arciendo, vid. *Cypr. d. Sponsal. c. 6. §. 2. n. 12. 14.* Et denique hoc absurdum proveniret, ut, quod in liberorum favorem à Jure excogitatum, in maximum eorum præjudicium ac dispendium vergeret; Jura quippe propterea parentum

consensum sponsalibus contrahendis intervenire desiderant, quia praesumunt, illos optime iisdem prospecturos; At si huncce vix ac ne vix obtinerent, si parentibus duris, ac senibus v. g. quibus ut plurimum moris est, ut quavis in re juvenibus adversentur, atque obliti se aliquando juvenes fuisse eorum amoribus admodum infensi sint, Cypr. loc. cit. ob nullam vel minimam causam nuptias liberorum solo suo dissensu impedire, atque sic haud raro maximam partem fortunae eorundem subtrahere permetteretur. Saluberrima hinc est Constitutio, quam continet *Ordinat. Elect. Eccles. t. von Ehe Sachen §. von Ehe-Geldbüssen. verb.* Dargegen aber wollen wir die Eltern ermahnet haben, wenn die Kinder ihre Jahre erreicht, darauf bedacht zu seyn, welcher Gestalt dieselben ehelich und also versorgt werden, daß sie damit auch ihres Theils zu Frieden seyn können; Und sonderlich, da die Kinder ihre Eltern umb Erlaubnuß sich mit gewissen Personen ehelich zu verbinden, ersuchen und bitten würden, sie ohne gnugsame erhebliche Ursachen daran nicht hindern.

THES. XLI.

QUENAM autem PRO JUSTIS DISSENTIENDI CAUSIS REPUTENTUR, scire nunc expedit; Plures equidem earundem recenset *Cobmannus Vol. 1. Resp. 1. n. 244. 254. it. Cypr. d. Sponsal. c. 6. §. 4. n. 2.* easdemque redegit in compendium *Hieron. Brückner. in Decis. Matrim. c. 2. n. 134.* ipsemet verò putarim, me non erraturum, si cum *Carpz. in J. C. 2. d. 55.* dixerim, discretioni iudicis ac arbitrio Dominorum Consistorialium hanc rem committendam esse, qui pro diversitate circumstantiarum & diversâ personarum qualitate easdem arbitrari ac ponderare necessum habent. Cæterum hoc certum est, INOPIAM AC PAUPERTATEM sponsi sponsæ non præbere parentibus sufficientem ac legitimam dissentendi causam vid. *Carpz. loc. cit. add. Alber. Gentil. d. Nupt. l. 3. c. 4.* nisi forsân inops, v. g. *sponsus*, insimul sit pro-



cus vitæ inhonestæ, improbis moribus, ac turpitudine infamiae laborans; nam parentes talem dissensu suo recusare posse, certò constat inter Dd. v. *Hieron. Brückner. Decis. Matrim. l. alleg. it. Cypr. l. cit.* Pariter nec justam dissensus excusationem habere parentes NOBILES, ex eo, quod FILIUS UXOREM NON NOBILEM DUCERE VELIT, secundum viorem sententiam asserendum est, quod tamen haud immerito limitandum est, si forsàn speciali lege conjugia inter Nobiles & non nobiles expressè prohibita, *add. pl. Carpz. l. cit. d. 56.*

THESES. XLII.

Parentes itaque secundum dicta in *ib. antecedenti* iustas dissensus sui causas proferre debent; sed quid, si nec probabilis reclamandi causa adsit, nec quoque ipsimet aliam honestam conditionem liberis quarant, & tamen tam præfracti, tamque morosi sint, ut nec ipsorum liberorum, nec adgnatorum precibus ad consentiendum flecti queant? Sanè tunc Judicem seu Consistorium auctoritatem suam interponere debere, dicendum est; Idque non attento injusto parentum dissensu, sponsalia ejuscemodi firma ac rata pronuntiabit, v. *Cypr. loc. cit. S. 3.* quod & pluribus Præjudiciis alleg. corroborat. *Carpz. in J.C. 2. d. 53. add. Struv. S. J. C. Ex. 29. ib. 24.*

THESES. XLIII. & Fin.

Hæc, non equidem pro matris nobilitate, sed instituti & temporis ratione, in præsentiarum ex difficili hac materia delibasse sufficiat; si forsàn, BENEVOLE LECTOR, expectationi Tuæ non omni ex parte satisfecerim, cogita veris, quod sanè nullum in hominem tanta cadat perfectio, quæ non suos quodammodo patiatur nævos: Proinde nec modestas tuas correctiones recuso, sed potiùs, exactiùs trutinantem & meliòra placidè ac sine affectu monentem obsequiosè sequar. Sit interim Deo Triuno Laus, Gloria honosque Sempiternus.

INDUE jam faciles lætanti pectore vultus
Magne Parens Gnati, qui modò summa
petit!

Namque Tuam mentem sic hæcenus IN-
DUIT ille,

Ut Salana ipsum plausibus hisce beet:
**NON SUFFECIT HUIC, RADIIS FUL-
GERE PARENTIS,
VERUM PATRISSANS MALUIT
ESSE SIMUL.**

Quod Temet totum posthac virtutibus æquet,
Magne Vir, hæc Soboles, auguror; idque
precor!

Wilhelmus Hieronymus
Brückner, D.

THE Sponsum Themidos commendat
gloria gentis,
Ingenii & Moris fulgida gemma
boni.

I! Cathedram conscende, & doctam confere
pugnam;

Victorem & Sponsum digna corolla manet.

*Nobiliss. Dn. Doctorando de meritis honoribus
gratulatur, applaudit, & felicissimos ultteriores
successus ominatur*

Georgius Wolfgangus Wedelius.

Ut

UT Tibi, mi Fautor, penetralia PAN-
DIT honoris,
Jenæ resplendens deveneranda The-
mis;

Sic Tua jam, sitiens, sua bracchia Patria
PANDIT,

Exceptura Virum, qui queat esse Decus.

Hæc igitur Patris Urbs cumulet Tibi præmia
larga,

Ut Patronus ibi sis aliquando meus!

Ita Nobiliss. D. Doctorando, amico integerrimo de honoribus laudabiliter susceptis, ediroque egregio. Eruditionis specimine cordiculus gratulatur

Andreas Conradus Neufam/
Oldend. Hadelenf. J. U. Dd.

HÆc, abiens peregrè Tibi, FRATER,
disticha linquo,
Atque vovens, in iis hoc Tibi di-
co VALE:

Te sic commendet Tua clara corolla Themis-
tos,

Ut SIDUS Patriæ, quando redibo, sies!

*Hocse fratrum votum in itinere in Hollandiam
comprehensus addere volebat*

Johannes Wilhelmus Schelhaf.
Madri:


Madrigal.

Der Preis hängt an den Sieg.
Soll Cæsars helden Muhe
Die Käyser Krone stillen/
Und Rom das stolze Thier zu seinen Füßen
liegen/
So muß sein Arm nur können siegen/
Und das erhitze Schwerdt mit warmen Blut
Den Kampff-Platz füllen.
Wer auch auff dieser Bahn
Die Purpur-Krohne wil erjagen/
Der setz/ wie Er/ mein Freund/ die Kräfte
an.
Justinianus pflegt zu sagen:
Der Purpur ist bereit
Der Tapfferkeit.

Dieses setze
Ein ergebener Freund
M. S.







AB 152989

ULB Halle

3


002 420 562



Sb.

Vom





16

In Nomine Jesu!

DISSERTATIO INAUGURALIS
De
CLANDESTINIS
SPONSALIBUS
JURATIS,

Quam
Divinâ aspirante gratiâ
Autoritate & Decreto
Incltyi Jurisconsultorum ordinis
in florentissimâ ad SALAM Academiâ

16

PRÆSIDE
D. WVILHELMO HIE-
RONYMO BRÜCKNERO,
Pandeet. Prof. Publ. Facult. Jurid. & Scabinatus Assessore,
Collegii Juridici h. t. DECANO
Pro Summis in Utroq; jure honoribus & DOCTO-
RALIBUS PRIVILEGIIS legitime obtinendis
publice disquisitioni submitit
JOHANNES ERNESTUS SCHELHAS,

Ishacens. Thuring.
ad Diem Sept. M D C LXXXVII.
IN AUDITORIO JCTORUM
horis ante- & pomeridianis.

J E N Æ,
Literis WERTHERIANIS.

